



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

79. Chamæleon: Ex eodem Solino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea, vel alba distinguatur tergi supellex. Tradunt, od ore earum, & contemplatione armenta mirè affici, atque vbi eas perſentiscant, properato conuenire, nec terri, nisi sola oris toruitate. quam ob causam Pantheræ, ab leonditis capiribus, quæ reliqua sunt spectanda præbent, vt pecuarios greges stupidos, in obtutu populentur secura vastatione. Sed Hyrcani, vt hominibus intentatum nihil est, frequentius eas veneno, quam ferro necant. Aconito carnes illinunt; atque ita per compita spargunt semitarum; quæ vbi esse sunt, fauces earum angina statim obsidentur, adeo gramen *παραλαοχίς* illi appellauerunt, sed pantheræ aduersus hoc virus excrementa humana deuorant, & suo pte ingenio pesti resistunt. Lenra illis viuacitas, adeo vt electis intera-
neis mortem diu differant.

CHAMÆLEON.

Ex eodem Solino.

Descriptio LXXIX.

PER omnem Asiam Chamæleon plurimus, animal quadrupes, facie quæ lacertæ, nisi crura recta, & longiora ventri iungerentur, proluxa cauda, & eadem ad vertiginem torta, hamati vngues, subtili aduncitate, incessus piger, & ferè idem, qui testudinum motus: corpus asperum, cutem, qualem in crocodiliis deprehendimus, subducti oculi, & recessu concauo introrsum recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Visum denique non circumlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus eius æternus, ac sine vllius vsus ministerio, quippe cum neque cibum capiat, neque potu alatur, nec alimento alio, quæ haustu aëris viuat: color varius, & in momento mutabilis: ita vt, cuiusque rei se coniunxerit, concolor ei fiat: colores duo sunt, quos fingere non valet, ruber & candidus, cæteros facile mentitur. Corpus penè sine carne, vitalia sine liene, nec nisi in corculo pauxillum sanguinis est. Later hyeme, producit vere: Impetibilis est coraci, à quo cum interfectus est, victorem suum perimit interemptus: nam si vel modicum ales ex eo comederit, illico moritur.

Idem, ex Tertull. lib. de Pallio.

EST & quadrupes tardigrada, agrestis, & humilis, aspera. Testudinem Pacuuianam putas? non est; capit & alia bestiola vesiculum de mediocribus oppidò, sed nomen grande: Chamæleontem qui audieris, haud ante gnarus, iam timebis aliquid amplius cū leone. At cum ostenderis apud vineam femè sub pampino totum; ridebis illicè audaciam, & Græciam nominis: quippe nec succus est corpori, qui munitionibus multò licet. Chamæleon pellicula viuic, capitulum statim à dorso: nam deficit ceruix. Itaque durum reflecti, sed circumspectu emessitij ocelli, imò luminis puncta vertiginant. Hebes, fessus vir se à terra suspendit: molitur incessum stupès, & promouet, gradum magis demonstrat, quam explicat; icitunus scilicet semper, & in defectu: oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus: Tamen & chamæleon mutare totus, nec aliud valet. Nam cum illi coloris proprietas vna sit, quod accessit inde suffunditur. Hoc soli chamæleonti datum, quod vulgo dictum est, de corio suo ludere.

CAMELVS.

Expressus ex Oppiano.

Descriptio LXXX.

PRæclarum, mite, domesticum est Camelorum genus hominibus ad circumuehenda onera perquam familiare. Corpus illi supra cæterorum animantium speciem procerum, & punctis interstincto tergo maculosum, caput cætero qui amplum paulatim ad verticem gracilescit, ex eo geminæ cornuum species emergunt, supra verò tempora secundum autes, duo molliter confurgunt apices, in ore lacteus prominet numerosa serie dentium nitor, oculi iucundissima luminis face scintillant: terga lata, & insigni colliculo protuberantia, crurum non æqualis mensura, postici enim pedes anterioribus minores, ex quo nonnihil claudicare viderur. Cauda talis est, qualis ceruis, aut damis esse solet, summis
à ter.